



Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

Elegia XI. Magdalena lacrymis fucum omnem eluit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](#)

Sed quota pars cor quælo mei est, fax pectoris
ardens,

Quod calet ut paruo testa pusilla foco?
Quò mihi mille boues, & millia mille bidentū,

Quæ crepitant Solymis ignea præda foci;

Vnica si vel gutta sat est, quæ temperat iras,

Et de corde flagrans mica vel vna sat est?

Opto tamen tumidos se cor effundat in auctus,

Augustoque breues ampliet orbe sinus;

Omnigenosque mei cor corporis induat artus,

Omnibus ut membris victima tota litem.

Aut oculus certè sim tota, volubile sidus;

Clarius ut spectem lyncea tota Deum.

Nisi satius foret esse manū, quò Magdala sanctus

Tota labor sacro militet obsequio.

Quid prohibet verti vocali pectine linguam,

Vt mea te solum lingua diserta canat?

Sed quid ego infelix tanto me dignor honore?

Illa ego tota probrum, dos ero digna Deo?

Non cor, non oculus, nec ego manus apta Tu-
nanti;

Sim nisi sub modico puluere, puluis humi.

Tu capit is caput ille mei, lux lucis I E S V,

Vita meæ vitæ, cor mihi cordis eris.

ELEGIA XI.

MAGDALENA lacrymis fucum
omnem eluit.

PVTIDA quam pyxis vomit ora per vnta
mephitim,

Et rea quod fictis illinit ymbra labris,

E ma-

Emacula, piatum q; genâ male-olente venenum
 Terge: subest lacrymis spongia pura tuis.
 Flebis; vti fons est oculus, quē crimina tangunt;
 Informi formâ sttere perenne tuum est.
 Illacryma stibio : mendaci tincta figurâ
 Ora volubilibus diluet imber aquis.
 Ilicet en surdo cedit agmine riuus honesti
 Obses,& illimi temperat imbre genas:
 Et niueis expugnat aquis vis limpida fletus,
 Quidquid adoptium frontis adumbrat ebur.
 Nec latis hoc; castus rubor ardet in ore rosanti:
 Qui stetit in peplo, transit in ora pudor.
 Iam lego purpureâ depictum fronte pudorem.
 O quām flos Tyriæ discolor iste togæ!
 Qualis ab auricomō Thetis icta rubescit Eoo,
 Tale verecundo iam rubet ore decus.
 Corallo qui floret honos, rutiloque pyropo,
 Et flos Magdaleis purpurat ille genis.
 O quātò hic melior liquor, os qui tingit & ornat,
 Quām sit ab Oebalio quæ rubet vnda cado!
 Aut picei fuligo foci, conchæve saliuia,
 Vel par creta niui, vel rubra bulla nitrit.
 Deniq; quidquid id est, pyxis quod lena pudoris
 Inquinat, aut tincto capsâ vomit gremio!
 Euge, tuum nunc ingenuo caput imbue vultu:
 Simplice nobilius floret ab ore decus.
 Cerussam, stibium, fluxi tectoria vultus,
 Diuiduo sulcans tramite riuus arat.
 En aqua Sidonio concors it vena veneno:
 Qui rubor ore stetit, is rubor ardet aquis.
 Quæ lacrymas minio tingis, stibioque coloras,
 Eluis, an muras? denuo picta nites.

36 BALDVINI CABILLIAVI LIBER ET.
Vah! ea simplicitas quām callida! nescia fuci
Dum fucum expungis, maior adornat honos.

ELEGIA XII.
MAGDALENA lauando CHRISTI
pedes se lauat.

PVRIOR argento quā labitur vnda doloris,
Pellucet liquido candida cura vitro.
Nimirum nitidis CHRISTVM stat tingere
lymphis,
Squallida cui niueos vmbra arena pedes.
Lene-fluens tacito iam voluitur agmine riuus,
Voluitur vndoso naufragus amne pudor:
Sed sine labe pudor, casti qui censor honoris
Purpureus, mediis pulchrior ardet aquis.
Cui dolor argenteis purus comes adnatat vndis,
Puriter ut sancto diluat amne scelus.
Eia, sat est; lacrymæ, rapidoque fluentia cursu
Flumina, sat Dominos implicuere pedes.
Nunc inhibe riuos, linoque bibace tot vndas
Opprime, linigerā compede stringe pedes.
Detrahe sollicito quondam data vela pudori,
Vela verecundas abdere iussa genas.
Hei mihi! nulla tuo nubes prætexta rubori est,
Vlla nec impurum substrahit vmbra caput.
Fallitur, ah, isto qui querit flammea vultu,
Cui benē nudus Amor lucida flamma micat.
Sed tibi sit sindon frons, quæ sine sindone prodit.
O tibi quām solers fit modò textor Amor!
Cerne, liquens oculus largo quas prodigit imbris,
Elambit reduces crinis auarus aquas.

Quem-